

„sa Deus suscipit, sed illa multò magis sibi gratiosa sunt. Et vasa quidem danti solum profuerint, benignitatis, verò etiam accipienti. Et hi quidem ostentatio non, nunquam potest accusari, ibi verò totum misericordiam animo attribuitur.

Deinde nonnullis interpositis ait: „Nec prohibeo, magnifica templa condere, sed hæc cum illis, imò verò, hæc ante illa facere moneo. Nemo enim, quia templa, magnifica non condiderit unquam accusatus est; at, verò gehenna, ignis inextinguibilis, supplicia demònum imminent, nisi quis diligenter ista peragere velit.

VII. Hæc latius retulit Vir eruditus & pius Joannes Merlo Horstius in notis ad capitulum 11. Apologiæ S. Bernardi ad Guilelmum Abbatem, ubi hic sanctus inter alia exclamat: „O vanitas vanitatum sed non vanior, quàm infanior fulget Ecclesia in parietibus, & in parietibus eget. Suos lapides induit auro, & suos filios, nodos deserit. De sumptibus egenorum servitur oculis divitum. Inveniunt curiosi quo delectentur, & non inveniunt miseri quo sustententur.

VIII. Advertit ibidem S. Bernardus hunc templorum vanum & superbium ornatum non raro ex ipsa procedere avaritia. „Si quæris quomodo, miro, inquam, modo. Tali quadam arte spargitur æs, ut multiplicetur. Expenditur ut augeatur, & effusio copiam parit. Ipso quippe visu sumptuosarum, sed mirandarum vanitatum accenduntur homines magis ad offerendum, quàm ad orandum. Sic opes opibus hauriuntur, sic pecunia pecuniam trahit, quia nescio quo pacto ubi amplius divitiarum cernitur, ibi offertur libentius. Auro, textis reliquiis saginantur oculi, & loculi aperiuntur. Ostenditur pulcherrima forma Sancti vel Sanctæ aliquis, & eo creditur sanctior, quo coloratur. Currunt homines ad osculandum, invitantur ad donandum, & magis mirantur pulebra, quàm venerantur sacra. Ponuntur de hinc in clesia gemmatæ non coronæ, sed rotæ, circa septem lampadibus, sed non minus fulgentes, insertis lapidibus. Cernimus & pro candelabris arborum, res quasdam erectas, multò ætate pondera, miro artificis opere fabricatas, nec magis coruscantes superpositis lucernis, quàm suis gemmis. Quid, putas, in his omnibus quæritur? Pœnitentium compunctio, an inveniunt admittitur? „Utinam hæc tantùm ætate Bernardi vera fuissent.

IX. Rectè quoque notat Horstius, cur multorum liberalitas pronius in templorum donaria, quàm in egenorum subsidia feratur. „Nempe quod pauperibus impenditur in vacuos & obscuros abit ventres: quod templis offertur, omnium oculis conspicuum exponitur.

X. Ac actum Episcopum Amidæ summopere laudatum fuisse, quod pro redimendis & alendis captivis vasa aurea & argentea Ecclesiæ, vendiderit refert Socrates lib. 7. Hist. cap. 21.

XI. Ex his itaque aliisque concludunt Canonistæ, triplicem esse causam, nimirum necessitatis, utilitatis, & pietatis, ob quam res Ecclesiæ alienari possint.

XII. Verum hæc necessitatis, utilitatis, aut pietatis causa, ut res Ecclesiæ præsertim immobiles & notabilis pretii alienari queant, olim in Concilio Episcoporum discuti & probari debebat; uti constat ex Canone Carthaginensi capite præcedenti relato; qui dicit „necessitatem insinuandam esse Prælati Provinciæ, ut cum statuto numero Episcoporum, utrum faciendum sit, arbitretur. „Additque: „Quod si tanta urget necessitas, ut non possit ante consulere, saltem vicinos testes convocet Episcopos, curans ad Concilium referre omnes suæ Ecclesiæ necessitates.

Et Hilarus Papa epistola 8. ad Episcopos diversarum

Provinciarum Gallia scribit seculo V. Prædia ad Ecclesiam pertinentia in alterum non transferantur, „nisi prius apud Concilium alienationis ipsis causa doceatur, ut quid fieri debeat, communi omnium deliberatione tractetur.

XIII. Quapropter non immeritò Paschasius Quenellius probans, epistolam ad universos per Siciliam constitutos Episcopos, à Gerardo Vossio evulgatam, Leoni Magno adscribi non posse, notat, Decretum quod huic epistolæ inseritur permittens alienationem rerum Ecclesiæ cum totius Cleri tractatu atque consensu, esse recentioris & remissioris discipline: cum pristina tractatum atque consensum Concilii Episcoporum exigere.

XIV. Interim illud certum est, recentioris & remissioris hæc in re disciplinam, veterem antiquatam, invaluisse, cui introducendæ occasionem dedisse rationem Synodorum Episcoporum celebrationem vix dubitari potest; ipsumque tandem Decretum sub nomine Leonis Papæ à Gratiano relatum eandem stabilivisse admodum verisimile est.

XV. Quamquam juxta hanc recentioris disciplinam non requiratur discussio causæ ipsius alienationis in concilio Episcoporum, requiritur tamen tractatus sine discussio & examen causæ per illos faciendum, qui alienationem probare debent; uti communi consensu docent Canonistæ, indicatque Decretum sub nomine Leonis Papæ relatum à Gratiano in verbis, cum totius Cleri tractatu.

XVI. Unum dumtaxat tractatum requirit citatum Decretum; eumque sufficere monet Rebuffus in Compendio alienat. rerum Eccles. num. 81. dum tamen sit solemnis & diligens nisi tamen specialis alicujus Ordinis constitutio qualis est Benedictinorum juxta Rebuffum vel Ecclesiæ consuetudo plures tractatus exigere.

XVII. Post hæc subjungit ibidem Rebuffus num. 84. qualis hic debeat esse tractatus, „Omnes Canonici vel Monachi (ait) debent vocari expressè ad sonum campanæ, vel alias, juxta morem ipsorum, ad tractandum & deliberandum super venditione, vel locatione, perpetua, seu alienatione. Quibus congregatis, prælati, Abbas, seu Prior proponet causam, videlicet, debitum urgere, vel aliam interesse necessitatem, seu utilitatem; super qua licet canonicis, seu monachis sic congregatis, tractabitur, seu deliberabitur an, & quomodo, alienare expediat. Et quilibet dicet suum suffragium. Et postea, si convenierint in unam sententiam, fiet instrumentum hujus deliberationis, & tractatus, videlicet, licet, quod tales Canonici S. Petri Montipessul. post longum & diligentem tractatum communi consensu, confirmaverunt, quod talis possessio propter tale debitum vendatur, vel alienetur, & pecunia ad dictam causam convertatur, credentes hoc utilius expedire Ecclesiæ.

XVIII. Addit deinde: „Etiam tractari debet qua via, extra alienationem provideri possit Ecclesiæ, an ex fructibus, locationum rerum Ecclesiæ habitis, & non de fructibus, an possit provideri de rebus mobilibus; & si non de mobilibus, an magis de quibusdam rebus minus fructuosis quàm aliis, instar alienationis bonorum pupillorum.

XIX. Quod dicitur hic de tractatu Cleri sive Capituli intelligitur de casu, quo in alienatione bonorum requiritur consensus Capituli. Qui enim alienationem suo assensu probare tenentur, præmittere quoque debent tractatum sive examen, an iusta & sufficiens sit causa hic & nunc talia bona Ecclesiæ alienandi.

XX. U. ergò sciatur quorum Tractatus, sive Examen super causis alienationis præcedere debeat, prius examinandum, qui alienationi consensum præbere debeant.

XXI Im-

XXI. Imprimis si agatur de bonis spectantibus ad aliquod Capitulum, aut Conventum, requiritur consensus illorum qui Capitulum illud aut Conventum præstant vel constituunt; illudque insinuat Decretum apud Gratianum sub nomine Leonis Papæ in verbis: Et cum totius Cleri tractatu atque consensu.

XXII. Hic nomine Cleri intelligi Capitulum, post alios Canonistas notat Rebuffus num. 79. Notatque insuper n. 76. quod licet dicatur totius, sufficiat tamen consensus majoris partis; sed hic dicit totius (ait) quantum ad tractatum; sed requiritur major pars quantum ad consensum; nisi minor pars velit causam rationabilem in contrarium allegare, quia tunc negotium, differri debet.

XXIII. Præterea requiritur consensus & tractatus Capituli, si agatur de alienatione bonorum spectantium ad mensam Episcopii; etiam mensa Capituli, & mensa Episcopi sint separata.

XXIV. Præter consensum Capituli requiritur consensus Episcopii, si agatur de Ecclesia Cathedrali, sive collegiata etiam Regulari, non tamen exempta. Cap. 1. De rebus Ecclesiæ non alienandis.

XXV. Si agatur de bonis Ecclesiæ non habentis Capitulum aut Conventum, puta Parochialis, sufficit licentia & consensus ipsius Episcopi, etiam sine consensu Capituli, uti notat Rebuffus num. 88. quod & praxi conforme est. Et consequenter etiam Episcopi dumtaxat, & non Capituli tractatus sive examen super causa alienationis præcedere debet.

XXVI. Non teneri Episcopum hunc tractatum, sive examen iudicè absolvi notat Rebuffus num. 14. solentque hodie Episcopi libellos supplices, quibus petit facultas alienandi bona Ecclesiarum Parochialium aut per levationem pecuniæ ea gravandi, remittere ad Decanos Rurales, ut informatione capta super causa alienationis aut levationis in libellè expressa, iudicium suum ad Episcopos rescribant; quo accepto Episcopi annuunt; vel renuunt; nisi ulterius examen iudicent necessarium.

Qualis autem informatio fieri debeat sat bene proponitur in L. 5. ff. De Rebus eorum qui sub tutela; & latè deducit Zypæus Consult. 2. De Rebus Ecclesiæ non alienandis.

XXVII. Si Ecclesia sit exempta, atque Pontifici immediate subjecta, requiritur consensus Pontificis; atque ille consensus debet esse specialis & expressus; uti monet Rebuffus num. 86.

XXVIII. Quin attento rigore Clementine AMBITIOSÆ De Rebus Ecclesiæ non alienandis, nulla Ecclesiarum aut monasteriorum bona inconsulto Pontifice alienari possunt; sed notat Zypæus in Jure novo tit. De Rebus Ecclesiæ non alienandis. n. 2. Extravagantem quoad hoc punctum non ubique receptam, „sed quod, saltem in his Ditionibus, Episcopi alienationem rerum ad Ecclesias sibi subjectas spectantium facultatem, causâ cognitâ concedant.

XXIX. Similiter testatur Rebuffus n. 86. quod si Abbates exempti vel alii Prælati haberent Ecclesias sibi pleno jure subjectas; tunc si Rector velit alienare, poterit cum consensu illius Abbatis habentis jurisdictionem quasi Episcopalem.

XXX. Deinde n. 87. tamquam consequens infert: „Ideò inferitur, quod si moniales subjectæ pleno jure, Prædicatoribus vel Minoribus, velint alienare, poterunt cum autoritate ministri Provincialis, vel Generalis, vel alterius habentis jurisdictionem in eis quasi Episcopalem, cum tractatu & solemnitatibus hic expressis.

XXXI. Hodie juxta præscriptum Pontificalis Romani Episcopus consecrandus inter alia jurat: „Possessiones verò ad mensam meam pertinentes non ven-

Van Epen jur. Eccl. P. II.

dam nec donabo, neque impigno abo; nec de novo in feudabo, vel aliquo modo alienabo, etiam cum consensu Capituli Ecclesiæ meæ, inconsulto Romano Pontifice. Et si ad aliquam alienationem devenero; pœnas in quadam super hoc edita constitutione contentas, eo ipso incurrere volo. „De hac formula juramenti actum supra parte 1. tit. 15. c. 2.

XXXII. Interim quando ad Pontificem pro licentia alienationis recurritur, ipsiusque consensus petitur, tunc quoque consensum præstare non consuevit, nisi prævio tractatu sive discussione causæ. „Solet enim (ait Rebuffus n. 15.) committere alicui existentem in partibus ut videat an expediat illam rem alienari, & ad relationem illius auctoritatem interponere; alias etiam, alienatio ex auctoritate Papæ irritaretur, quia jure non facta.

XXXIII. De hac Sedis Apostolicæ consuetudine loquens Synodus P. II. Cameracensis tit. 15. cap. 1. monet iudices, ut diligenter advertant, num omnia in litteris Apostolicis expressa veritate nitantur. Verba Decretum sunt: „Cum alienationes bonorum Ecclesiasticorum, jure communi sint prohibita, contingatque nihilominus non raro commissiones seu delegationes à Sede Apostolica impetrari ad Decretum alienationis interponendum, si in evidentem Ecclesiæ utilitatem cedere, deprehendantur. Animadvertant diligenter iudices omnes, ut Ecclesiæ, de quibus agitur, nudâ utilitate perspectâ, maturè examinent & investigent omnia, quæ litteris Apostolicis præscribuntur, nullâ personarum, aut partium ratione habitâ, quæ cum in hujusmodi negotiis sint concordantes, eò attentius iudici est, invigilandum, ne Ecclesiæ bona non tam utiliter vendita, quàm leviter delapidata esse aliquando inveniuntur.

Rescriptum super alienatione rei Ecclesiasticæ solet vocari Rescriptum, si in evidentem; quia continet hæc clausulam: Si per informationem, alienationem in EVIDENTEM & urgentem necessitatem factam esse repereris.

In Gallia non admitti licentiam alienandi Sedis Apostolicæ motu proprio; vel cum clausula, in vitis Clericis tradunt Pragmatici, & videri potest Carolus Fevretius De Abusu lib. 3. cap. 1. num. 19.

XXXIV. Præter consensum Superioris, etiam requiritur consensus Patroni, communiter notant Canonistæ; quod tantùm intelligi vult Zypæus loco citato num. 9. de iis bonis quæ à Patrono profecta sunt.

XXXV. In Gallia in hac alienatione intervenire debere auctoritatem Regiam post alios monet Claudius Fleury in suis Institut. Juris Canonici parte 2. cap. 12. eò quod Rex habeatur protector Ecclesiarum, & bonorum ad eas spectantium.

In Belgio quoque non facillè alienatio bonorum Ecclesiæ, præsertim si notabilia sunt, sine consensu Regis absolvenda est; cum & Principes Belgii se protectores Ecclesiarum & bonorum Ecclesiasticorum profiteantur.

Etiam in commutationibus rerum Ecclesiasticarum auctoritatem Regiam olim intervenisse, probant Capitularia Regum Francorum, & ostendit Stephanus Balulius in notis ad Capitularia pag. 1205. verbo, ubi cumque commutationes.

XXXVI. Si ad Regem pro obtinenda licentia alienandi recursus habeatur, tunc tractatus sive informatio per iudices loci, aut alios à Regio Senatu Deputatos super utilitate vel necessitate alienationis instituitur, qua facta, si necessitas aut utilitas appareat, litteræ nomine Regis expediuntur, quibus licentia alienandi annuitur.

XXXVII. Tria proinde potissimum hodie ad alienationem requiruntur, nimirum legitima causa alienandi,

Dddd 2

nandi,



nandi, tractatus sive discussio causa, & consensus Superioris.

Unde Philippus II. in Edicta ad Synodum P. II. Ca. meracensem vult, ut à iudicibus Regis habeantur pro nullis alienationes omnes bonorum Ecclesiasticorum factæ sine consensu Superiorum & causæ cognitione, non obstante quacumque consuetudine contraria. Verba Edicti sunt: *Comme aussi voulons, & entendons que par nos Juges Royaux, & tous autres soient tenues pour nulles les alienations, & louages à longues années des biens Ecclesiastiques faittes sans le consentement des Supérieurs, & deus connaissance de cause. Et ce non obstant toutes consuetudes au contraire au regard des alienations, & louages susdits qui se feront à l'advenir.* Id est Pro ut volumus & decernimus, ut Regii nostri Iudices aliique, omnes irritas habeant alienationes & conductiones ad longum tempus bonorum Ecclesiasticorum quæ sine Superiorum assensu & debita causæ cognitione fuerint peractæ, idque non obstante quavis consuetudine contrariâ, respectu alienationum & conductionum in posterum faciendarum.

XXXVIII. Indubie de consensu Superioris; uti & Capituli, vel Conventus, ubi is requiritur, constare debet per publicum instrumentum; requiritque Decretum relatum à Gratiano sub nomine Leonis Papæ, omnium Clericorum subscriptionem. Unde communiter docent Canonistæ, in alienatione bonorum Ecclesiæ requiritur subscriptionem omnium Canonicorum aut Monachorum vel Monialium Capitulum constituentium: Sed Rebuffus testatur num. 17. quod "de consuetudine, non subscribant Canonici vel Monachi; sed omnibus, præsentibus scribat Secretarius vel Notarius in instrumentis alienationum." Idem testatur Zypæus loco citato num. 5. monet tamen, id non ubique uniformiter observari; "Nam in cautius factis & deliberatis maturè, alienationibus etiam his temporibus secus observatum videmus.

XXXIX. Plures insuper præscriptæ sunt solemnitates à Justiniano Imperatore in Novella 7. & referuntur in Authentica, Hoc JUS PORRECTUM Cod. De SS. Ecclesiis; & à Gratiano inserta Canon. 2. Caus. 10. q. 2. Verum uti monet Rebuffus num. 20. hæc solemnitates in alienatione rerum Ecclesiæ hodie non servantur. Et Zypæus in Notitia Juris Belgici titulo De SS. Ecclesiis 5. De Rebus Ecclesiæ non alienandis testatur, neque nos servare hodie in alienatione Ecclesiastica solemnitates dictæ Authentica, sed præscripta tantum Canonum. Vide quoque Torneium in collectione arrestorum Litt. A. cap. 34. ejusque Notatores.

XL. Quin nec hodie ob prætermisam aliquam solemnitatem jure Canonico requisitam, alienatio rei Ecclesiasticæ semper rescinditur, aut invalida declaratur; notatque Rebuffus num. 103. Curiam Parlamenti Parisiensis non rescindere alienationes sine solemnitate, nisi læsio, & quidem notabilis intervernerit.

XLI. Scribit quoque Petrus Stockmannius quondam in Concilio Brabantia Consiliarius Regius, in suis ejusdem Curia decisionibus: "Quemadmodum in Gallia, ita & apud nos non observantur ad amicum omnia, quæ tam scrupulosæ constituta sunt circa bonorum Ecclesiasticorum alienationes, nec omisso cuiusvis solemnitatis locum facit rescissioni earumdem, maxime verò in his causis spectari solet, an læsio notabilis Ecclesiæ intervernerit an non, atque ubi hæc non ostenditur, plerumque ratæ manent alienationes, licet aliquid fortè in ritu & solemnibus deficiat, atque adeo quamvis non intercesserit consensus eorum omnium quos regulæ & instituta Religionum & Decreta Pontificia intervenire volunt.

XLII. Hæc ille Decis. 146. num. 1. & 2. additque num. 3. "Nos aliquoties ita censuimus, uti vide quoque tra-

ctatum in Curia Tholosana apud Maynardum lib. 2. Decisionum Tholosanarum cap. 7. attendi potissimum, debere justam & urgentem causam alienationis, vel evidentem Ecclesiæ utilitatem, rerum item quæ alienatæ sunt utilitatem aut pretium, ad hæc bonam aut malam fidem contrahentium, aliasque hoc genus circumstantias, quæ Religioni judicantium magnâ parte relinquendæ sunt.

Solemnitates autem quia istarum rerum causâ institutæ ac comparatæ sunt, inferioris gradus & minoris momenti merito hodie in foro & iudicium nostris habentur.

XLIII. "Propterea cum incidisset quæstio de rescindenda alienatione fundi Ecclesiastici, ubi & necessitas probata erat, & bona fides emptorum, qui in alimoniam egentium Religiosarum nummos suos erogaverant, tum consensus atque approbatio Conventus seu Capituli, confirmata fuit alienatio, & repulsæ Religiosæ, licet ostenderetur quædam ejusdem Monasterii vestales non consensisse neque subscripisse, quodque Primas ordinis, quem Generalem vocant, alienationem ratam esse non jussisset, id quod tamen decreta Ordinis, auctoritate Pontificia confirmata, ita jubebant.

XLIV. Primum ergo in alienatione rei Ecclesiasticæ sedulo attendendum ut causa alienationis serò examinetur; eaque in instrumentum specificè exprimat iis circumstantiis vallata, ut facile probari queat, aut saltem præsumi debeat. Unde rectè monet Rebuffus num. 9. quod de causa constare debeat per publicum instrumentum.

Ubi tamen est forma servata, & Decretum Superioris interpositum, semper præsumitur factum pro utilitate Ecclesiæ, uti notatur ad Torneium loco citato cap. 36.

XLV. Solemnitas extrinseca, ut auctoritas tutorum in alienatione rei minoris, vel tractatus Capituli & consensus solemniter, & aliæ solemnitates Ecclesiasticæ non præsumuntur, nisi probentur, ait Rebuffus n. 37.

"Fallit (ait idem) ex longinquitate temporis, quia tunc omnia præsumuntur solemniter acta. Item si instrumentum diceretur, solemnitatem servatam, is qui dicit non servatam, vel causam non fuisse veram, probare debet.

XLVI. Et revera si notabile tempus à rerum alienatione facta effluerit, non facile prætextu omisæ solemnitatis, vel defectu justæ causæ alienationes rescindendæ; nisi dolus, vel collusionis aliqua intervenisse appareat. Ne & hujusmodi alienationum rescissione familiæ turbentur; & nemo facile inveniatur, qui cum Ecclesiæ aut Corporalibus Ecclesiasticis contrahere velit.

XLVII. Merito suspecta habetur alienatio, & merito, etiam post lapsum notabilis temporis inquiritur, num in utilitatem Ecclesiæ facta sit, si in familiares aut cognatos ipsius Prælati bona Ecclesiæ translata; vel cum illis contractus initus fuerit. Nam, uti rectè docet Alciatus lib. 1. Præsumpt. 29. alienatio facta per Prælaturam in consanguineos, non præsumitur in Ecclesiæ, sed ipsorum consanguineorum utilitatem facta: prout & ipse Justinianus Imperator in Novella 102. unde desumpta est Authentica QUIBUSCUMQUE Cod. De SS. Ecclesiis insinuat, interdicens certis personis res Ecclesiæ accipere, "ut œconomis, ejusque cognatis: alioquin bonarum & œconomorum, & ordinatorum, quibus conjuncti sunt, post mortem eorum pervenient ad Ecclesiæ, de qua rem accipiunt.

XLVIII. Tametsi alienatio omni cum solemnitate fuerit facta, si tamen postmodum appareat læsio notabilis ex parte ipsius Ecclesiæ, poterit petere restitutionem exemplo Minoris, ejus jure & privilegio utitur Ecclesiæ, uti communiter docent Canonistæ in 1. Cap. De

De in integrum restitutione; ubi Pontifex rescribit, quod si Ecclesiæ læsa est, & manifestè apparet detrimentum ipsius (cum Episcopo ejus conditionem facere deteriorem non liceat, & Ecclesiæ jure minoris utatur) quæ in damnum ejus data (possessio) constitit, ad ipsius convenit jus & proprietatem redire.

Ne tamen alteri per hanc restitutionem nocumentum inferatur, addit Pontifex: "Providendum est ta-

men, ne si fortè coloni possessiones illas expensis ac labore suo reddiderint meliores, sumptibus quos bona fide fecerunt, debeant defraudari.

Unde autem læsio desumi debeat; & quando hujusmodi læsio censetur intervenisse ut restitutio annui debeat, latè deducit Zypæus Consult. 2. De Rebus Ecclesiæ non alienandis.


## TITULUS XXXVII.

### De Hospitalibus & aliis piis Locis,

#### CAPUT I.

##### De vario Hospitalium genere.

1. *Nomine Hospitalis subinde venit omnis pius locus recipiendis pauperibus destinatus.*
2. *Quibus visibus specialiter destinatur xenodochia?*
3. *Quid sint Orphanotrophia?*
4. *Procotrophia & Brephotrophia cui usui serviant.*
5. *Nosocomia, leprosarum & gerontocomia describuntur.*
6. *Alia sunt privata, alia publica.*
7. *Ille merè laica, hæc verò religiosa loca reputantur.*
8. *Hospitalia non est publicum nisi oratorium annexum habeat.*
9. *Indicium quod Hospitalia sit publicum & religiosum.*
10. *Alia sunt Hospitalia in Beneficium Ecclesiasticum erecta.*
11. *Quid requiratur, ut Hospitalia censeantur in Beneficium erectum.*
12. *Primæ natura Hospitalium est, ut sint simplicis administrationis.*
13. *Canoniarum Collegia ex præscripto Regule habebant singule suum hospitalia.*
14. *Hinc Hospitalia dabantur decimam suorum proventuum.*
15. *Præstare debet unus de Canonicis qui curam pauperum haberet, & qualis ad hoc eligendus?*
16. *In vigilare debebant Prælati, ne bona pauperum visibus deputata in alios usus diverterentur.*
17. *Incipiebant Hospitalia ut beneficia concedi, & ita proventus divertere.*
18. *Quam graviter delinquat bona Hospitalis diverrens.*
19. *Belgica Canoniarum collegia habuerunt suum Hospitalia; & adhuc supersunt vestigia.*
20. *Monasteria jam pridem pro Hospitalibus reputata.*
21. *Monasteria designantur loca pauperibus & hospitalibus recipiendis.*
22. *Nonnulla Hospitalia Monasteriis & Capitulis unita per modum suppressionis.*
23. *Alia unita sine suppressione.*
24. *Debent onera fundationis explere.*
25. *Hospitalia commissa Religiosis sine incorporatione aut unione.*
26. *Quare Hospitalium varietas nosci debeat?*

I.  Oca recipiendis & alendis pauperibus aliisve miserabilibus personis destinata subinde generali nomine Hospitalia dicuntur; quemadmodum nomine hospitalitatis nonnumquam venit quodcumque charitatis opus proximo impensum.

Verum tum pro diversitate regionum, tum ob diversam & multiplicem naturæ humanæ miseriam, cui in

hujusmodi locis succurritur, varia quoque iis nomina indita sunt.

II. Quædam enim specialiter destinata sunt susceptioni peregrinorum; dicunturque subinde xenodochia, à græco verbo xeno, quod Latine significat hospitem recipere. Interdum speciali nomine vocantur Hospitia peregrinis destinata.

III. Aliqua vocantur Orphanotrophia, ubi orphani sive pueri parentibus orbati aluntur; & qui horum curam agunt, Orphanotrophos vocat L. 32. Cod. De Episcopis & Clericis; dicunturque, Parentibus atque substantiis destitutos minores sustentare & educare veluti affectione paternâ: aut quasi tutores pupillorum & curatores adolescentium.

IV. Procotrophia sunt loca ubi recipiuntur pauperes debiles, qui labore proprio sibi necessaria ob corporis infirmitatem querere nequeunt.

Nonnulla sunt loca ubi infantes pauperes recenter nati & expositi educantur, quæ vocantur Brephotrophia.

V. Nosocomia vocantur ubi ægri & infirmi curantur. His jungendæ Leprosaria, in quibus specialiter & separatim leprâ infecti curantur. Similiter Gerontocomia ubi pauperes senes aluntur, merito nosocomiis junguntur, cum senectus ipsa sit morbus.

VI. Inter hæc loca pauperibus & miseris hominibus alendis & curandis destinata, alia sunt quæ nonnulli ex charitate ac pietate in pauperes privatâ suâ auctoritate extruxerunt dotarunt, legesque præscriperunt, nullâ Episcopi aut alterius Prælati Ecclesiastici auctoritate interveniente.

Alia sunt Episcopi auctoritate erecta, & ad usum religiosum publico & Ecclesiastico ritu deputata; qualia plerumque sunt hodierna nosocomia & leprosarum quibus mulieres religiosæ præfectæ sunt.

VII. Priora quidem dicuntur & reputantur loca pia at omnino profana sive laica: hæc verò habentur pro locis Religiosis atque de his agi sub titulo Decretalium De Domibus Religiosis communiter notant Interpretes.

VIII. Ut autem Nosocomium vel aliud quodvis hospitalia habeatur pro loco vel domo Religiosa, non sufficit auctoritate Episcopi in ipso hospitali, aut prope esse erectum oratorium aut sacellum, in quo pro commoditate pauperum eo divertentium, Ecclesiastica peragantur officia: quia cum ipsum hospitalia ab ipso oratorio aut sacello sit planè distinctum, non magis potest ab ipso suam mutare religiositatem, quam casttrum aut palatium Principis à simili Sacello mutarent.

IX. At cum dubitatur, an hospitalia sit publicum, aut privatum, cum non appareat, an Episcopi auctoritate sit constitutum: inquirendum est, utrum publicè ibi campana pulsaretur & populus ad divinâ publicè admittatur: tunc enim verum est dicere, publicum esse, & Episcopi auctoritati & jurisdictioni submissum, ut docet Panormit. ad Caput PATENTIBUS de privileg. num. 1.